
Historia ecclesiastica Polon.

1709.

Clementis Papae XI: Constitutio, ut festum Conceptionis B. Mariae Virginis Immaculatae, de praecepto ubique in posterum observetur.



SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI CLEMENTIS DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XI.
Constitutio, ut Festum Conceptionis B. MARIÆ Virginis Immaculatæ, de præcepto ubique in posterum observetur.

CLEMENS PAPA XI.
AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

COmmissi Nobis divinitùs Sacro-Sancti Apostolatûs Officij exigit ratio, ut Gloriosissimæ Virginis DEI Genitricis MARIÆ, Cujus Conceptio gaudium annuntiavit universo Mundo, venerationem, & cultum, plurium Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum more, ampliare studentes in terris, illius, quæ super Choros Angelorum exaltata pro populo Christiano Sedula Exoratrix apud eum, quem genuit, assiduè intercedit in Cœlis, potentissimam opem, in tot tantisque, quibus premimur Christianæ Reipublicæ, & Catholicæ Ecclesiæ necessitatibus, quantùm Nobis ex alto conceditur, promereri jugiter satagamus. Sincerâ itaque Nostrâ erga eamdem Augustissimam Cœli Reginam, Patronam, & Advocatam Nostram devotione incitati, Festum Conceptionis ipsius Beatæ MARIÆ Virginis Immaculatæ Ubique Terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque Sexûs Christi Fidelibus, sicut alia Festa de præcepto servari, & celebrari, ac sub præcepto observationis Festorum comprehendi, Auctoritate Apostolicâ tenore præsentium decernimus, præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seù Exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarij Publici subscriptis, & Sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die sextâ Decembris, M.DCC.VIII. Pontificatûs Nostri Anno Octavo.

F. OLIVERIUS.

CASIMIRVS à Łubna ŁVBIENSKI,
DEI, & Apostolicæ Sedis gratiâ, EPISCOPVS Chełmensis, CANONICVS, Sede Vacante Episcopatûs Cracov. ac Ducatûs Severiensis Generalis ADMINISTRATOR, Perpetuus Commendatarius ABBAS Czerviensis.

UNiverso Clero tam Sæculari, quàm Regulari, ac Populo, per & intra Civitatem, ac Diœcesim Cracoviensem, constituto, Nobis in Christo Dilecto Salutem in Domino. Quò magis Honor & cultus Beatæ Virginis DEI Genitricis MARIÆ propagatur; eò magis in cordibus Fidelium exinde sumpta crescit, dilataturq; lætitia. Ea enim est Fontem bonorum Nostrorum, ex quo abundantèr gratias haurimus, coronare. Nam ad MARIAM omnis gratia confluxit, & per MARIAM omnis gratia cæteros defluxit; ita ut in illa, & per illam, & de illa, benigna manus Omnipotentis, quidquid creavit, recreavit. *Nè igitur destituantur hac lætitia, qui Nomini MARIÆ militant, Constitutionem præinsertam, ut Festum Conceptionis MARIÆ Virginis Immaculatæ, de præcepto ubiq; in posterum observetur. Sanct. Domini Nostri Domini* CLEMENTIS *Divinâ Providentiâ Papæ XI. publicamus ad notitiam omnium Christi Fidelium deducimus, & deduci volumus. In quorum præsentes manu propriâ subscriptas, Sigillo Nostro communiri jussimus. Datum niow, Die vigesimâ secundâ Mensis Martij, Anno Domini, 1709.*

S. Bonav. inSpecul. Cap. 6. S. Bernar. titul. de Assumpt.

CASIMIRUS ŁUBIENSKI, Episcopus Chełmensis,
Sede Vacante Episcopatûs Cracoviensis Generalis
ADMINISTRATOR. *mpp.*

Locus ✠ Sigilli.



